

39. Adhuc Crassius peccant Papistæ, quando bona opera, licet imperfecta, & sordibus istis contaminata, fingunt meritoria.

40. Errat Lombardus, Thomas, & alii, dicentes, mortale peccatum esse in ratione: Veniale autem in sensualitate.

41. Item: Venialia peccata per se non esse contra legem Dei, nec habere rationem peccati: Igitur non opus esse de illis contritione: nec impedire ea perfectionem obedientiæ renatorum in hac vita.

42. Errant qui fingunt, gratiam semel acceptam non posse amitti.

43. Item: qui statuunt, eum, qui labitur in peccata mortalia, nunquam habuisse fidem, aut Sp. S. Quomodo plantatur dubitatio in animis omnium hominum: Siquidem omnes sæpius labimur.

## DISPUTATIO XIX.

### De ECCLESIA.

1. Disputatio de Ecclesia & utilis est, & summè necessaria: I. propter Papistas, Ecclesiæ titulo & Authoritate traditiones suas defendentes: II. ob Fanaticos, qui se veram esse Christi Ecclesiam gloriantur. III. ne putetur Ecclesia esse Colluvies quarumvis sectarum. IV. Ne Ecclesia æstimetur, vel ex majorum pietate & doctrina, à quâ tamen posteri desciverunt: vel V. ex multitudine, & majore parte hominum. VI. ne securitas alatur eorum, qui se nulli cœtui jungunt, nullam Ecclesiam curant neque cujusquam Ecclesiæ cives esse cupiunt: sed sunt singulares.

2. Dicitur *Ecclesia* Hebræis Cahal & Edah, hoc est, Congregatio, cœtus, conventus hominum: Græcis Synagoga, præsertim de Judæorum cœtu. Semel apud Jac. 2. 2. accipitur de concione Christianorum: Et sic Epistola Hebr. 10. 25. appellat *Ἐκκλησίαν*. *Ἐκκλησία*, generaliter dicitur quilibet cœtus: Speciatim, cœtus hominum causâ religionis collectus.

3. Ut discrimen esse conspicuum, vocatur Ecclesia Dei, & Ecclesia Christi. Quæ vocatur sancta, Catholica, Apostolica.

4. *Sancta*, ut distinguatur à cœtu profano. 2. quia in illo cœtu Deus suo verbo sanctificat credentes.

5. Ca.